

Martii Neomenia Paschalis continget anno MDCXXIV. tum prima est Terracosieteros Tropica æquinoctialis; Sed Scaligerianas Tabulas hic præstat adscribere: quæ altera epactarum Saracenicarum.

TETRACOSIETERIS TROPICA ÆQUINOCTIALIS A PRIMO anno Christi Dionytiano. Table with 19 rows and 20 columns of letters (A-Z) representing the 19-year cycle.

TABULA EPACTARUM SARACENICARUM ad annum reformatum, sive Nicanum accommodata.

Table with 19 rows and 20 columns showing epact values for Saracenic years from 1 to 19. Includes a column for 'Anni Christi' and 'Aureus numerus'.

CAPUT XXXII

Elencus doctrina superioris de Paschali Neomenia in anno reformato deprehendenda.

NON ea retractabimus hoc loco, quæ contra lunaris cælestis cyclum annorum CCXXVIII. definitum à Scaligero, disputavimus lib. IV. ubi Neomenia, & inconstantiam illius doctrinæ redarguimus. Videantur quæ ibi subtilius discussa sunt. Nos methodum dumtaxat investigandæ Neomenia Paschalis, de qua nunc agitur, examinabimus. Ac generatim quidem istdem illa reprehensionibus obnoxia est, quas in superiori contulimus: veluti quod epactas ad characteres Judæicos exigat; ex quo vitia multa propagantur, de quibus satis actum est supra: quod popularem atque æquabilem, & divinis legibus epactarum dispositionem non habeat: quod vetera omnia Computistarum decreta negligat; & alia nonnulla peccata, quæ suis locis detecta sunt. Alia sunt postrema istius propria; quorum primum hoc accipit. Bisextilium annorum ordinem à Julio Cæsare sancitum, & ab universo penè orbe jampridem receptum temerè nimis abrogat, & inæqualem illam intercalationem anteponit, quæ in quintum annum interdum bisextilium rejicit. quo quid vanius excogitari potuit? An enim Julianum annum ex usu hominum eximere, ac Tropicum illum substituere voluit, aut id se consecuturum putavit? Hoc verò risu potius, ac ludibrio, quam serâ aliqua consultatione dignum. An Julianam quidem formam, ac bisextilium annorum ordinem usui populari reliquit, præterquam in certis annis, qui sine bisexto transigendi sunt, ut in Gregoriana contingit: verum Tetracosietidem illam suam arcano, & operante velut anno commisit, ut ex ejus descriptione tempora castigentur? Atqui hæc se excusatione tueri non potest; quandoquidem nullam aliam Politicam anni Paschalis dispositionem explicat, in qua per quadriennia bisextiles discurrant. Deinde cum ex Tetracosietide ista Dominicas litteras peti jubet, necesse est, ut hanc solam vulgarem ad usum exhibendam existimet. Accidit autem in illa sæpius, uti litteræ Dominicales non solum à Julianis discrepent, quod & in Liliiana cernitur, eaque cui nos hodie consuevimus. (Nam Julianum cyclum nuper antiquavimus.) sed & ab omnibus quorumcumque cyclorum litteris, qui usitam per quadriennia bisextilium intercalationem retinent, nisi in paucis annis, qui ἀνιμολογος sunt. Sit exempli causâ annus Domini MDCXXIV. Ex illa Tropici anni Tetracosietide littera colligitur G, character Neomeniæ 4, epacta castigata Saracenicæ x, Romana ix, Neomenia Paschalis XXI. Martii: decima quarta Apr. III. feria tertia. Pascha itaque Aprilis VIIII. At ex altera methodo anni Tropici ejusdem Scaligeri supra tradita, cum litteræ Dominicales in cyclo rationales, quemadmodum & in Liliano, sint GF; feria quarta cadet in XX. Martii; Pascha Aprilis VII. celebrabitur. Nam & in anno Juliano conventit Martii x. unde καὶ τῆς εἰκοσθῆς dierum x. in Martii vicefimum prolabitur: uti cap. IX. proxime superiori docuimus. Non solum igitur sibi ipsi contradicit, dum ex ejus regulis duo ac diverfi dies eidem sequentis anni Paschati tribuuntur; sed etiam ridendum sese præbet omnibus, qui alias ferias, aliâque bisextilium annorum seriem Christianis obtrudit quod toties eveniet in hac Tetracosietide, quoties diversas à communibus litteras exhibebit, ne in exemplis singillatim explicandis longiores simus.

Notanda de intercalatione Scaligeri hæc sunt.

Jam hoc quale tandem est, quod in Tropica Periodo intercalari vetat, antequam dies integer exhoris & scrupulis collectus fuerit? Quorsum adeo scrupulosa & exacta ratiocinia, ubi cyclo opus est aliquo, qui Dominicales litteras commoda quæpiam, & tractabili ratione præscribat? Nam si momentum ipsum æquinoctii cælestis observari attinet; non in certo mense, putâ Febuario, vel in fine anni Tropici sedes illius collocanda; sed quemcumque in diem, horamve illius epilogissimi desinunt, ibi erit intercalandum. Quod si tanta intercalationis ἀνωμαλία minime ad hoc negotium convenit; non magis Scaligeri supersticiosa illa diligentia probatur. Nisi verò in lunariibus ψυφιστηρίοις ferie mutationem tamdiu sustinet, dum solidus dies exereverit.

Atqui ex Judæicis ratiociniis quoties xviiii. horæ collectæ sunt, dies solidus imputatur. Mensis quoque lunaris nonnumquam prius inferitur, quam integer conflatus sit. Multo ergo minus in cyclo populari tam limata & subtilis ἀγίθηνα locum invenit. Præterea Tetracosietis illa Tropica, & bisextilium in ea dispositio, ex anni quantitate pendet, quæ æquabilis est, ac media, & Alphonina minor scrupulis horariis 4. Nam Alphonina integra si usurpetur, cæcæ annis præcisè contineri nequit. Quamobrem post aliquot annorum millia, si accuratam Alphoninam amplectimur, alia Tetracosietidos & bisextilium conformanda ratio fuerit. Imo verò, quia contra quàm Scaliger temerè docuit, anni Tropici modus non idem semper, sed aliàs minor, aliàs major est, novi ac discrepantes identidem cycli describendi sunt litterarum Dominicantium; quoniam bisextilium eadem in omnibus ordinatio esse non potest. Ita continget aliquando uti tertio anno, aut contra sexto bisextus intercaletur. Proinde futilis est, & absurda bisextilium dierum administratio, quæ æquinoctialium cardinum momenta rimatur; cum id ea, quam sibi proposuit, methodo consequi non possit.

CAPUT XXXIII

De mensis unius pro altero substitutione, quam ἀνικανισμὸν appellat Scaliger, deque ejusdem inconstantia.

ANUS Tropicus lunari major est, uti ab Juliano superatur. Quo fit ut post aliquot annos Neomenia in consequentia pessum ferantur, & à veteri epocha discedentes in alium Tropicum mensem paulatim transeant. Scaligeri canon est iste, ut quoties ἀνικανισμὸς πλῆθος dies collecti cum epocha veteri Noviliani triginta superant, fiat ἐκβολὴ mensis lunaris veteris, & ἀνικανισμὸς antecedentis: ut si exempli gratiâ pro Nisan Adar usurpetur. Aureo numero currente VIIII, Nisan Nicanus aliquot post Concilium sæculis in Aprilis cœpit. Numerus enim iste ad v. Apr. adscriptus erat. Adar verò Nicanus in Martium cadebat. Nam aureus numerus VIIII. ad VI. Martii diem appositus fuit; cuius decima quarta in XIX. Martii. Post annos à Nicæna Synodo circiter ducentos, æquinoctium XIX. Martii diem occupavit. Tum igitur Neomenia numeri aurei VIIII. in Martio Paschati idonea esse cœpit, ac paulatim & aliæ duæ, XIX. & XI, quæ hætenus in Aprilis confliterant; prout æquinoctiorum ἀσθενήσας ad anteriores sese dies extendit. Est enim celerior æquinoctiorum, quàm Noviluniorum anticipatio, ut alibi dictum est. Igitur aurei numeri tres, XI, XIX, VIIII, Adar Dionysianum in Martium, Nisan in Aprilem conferebant. Postea Nisan Paschalis esse desit. Nam anno Christi MDCXXXIV, aureo numero III, Neomenia à v. Apr. ad ejus Kalendas transit. anno MDCXXXVII. ab Apr. II. ad Martii XXXIX, cyclo XI. anno MDCXCV, cyclo XIX, ab Apr. IV. ad XXXI. Martii. Adarim verò totidem numerorum partim ad Februarium discessionem fecerant; ut aurei numeri XI. à III. Martii die ad XXVII. Februarii: partim ad Martii antecedentes dies: veluti aurei numeri XIX. Adar à v. Martii ad ejus Kalendas. item aurei numeri VIIII. à VI. Martii ad secundum. Quoniam ergo æquinoctium ad XI. Martii pervenerat, ideo trium illorum numerorum dumtaxat Adarim Paschales erant, quorum decimæ quartæ post æquinoctium incidebant. Nam aurei numeri III, qui ad Kal. Martias erat, Neomenia in Februarii xxv. migraverat, ejusque decima quarta in x. Martii cadens nondum Paschalis habebatur. Proinde in tribus illis cyclis fiet ἐκβολὴ Nisan, & ἀνικανισμὸς Adar, quoniam ille in Tauronem, hic in Crionem incurrit.

Scaliger de hac ἀνικανισμὸς differens multa suo more Ifag. Can. garrir ἀνιμολογος prorsus & incondita. Nam & Lilio Clavioque haud merito quidem insultat ob Pascha anno MDCIII, & MDCXCVIII; & multa superiori doctrinæ contraria decernit. Triplex genus est terminorum Paschalium docet: primum quod ante Plenilunium incidit, quando Neomenia ab jugo procedunt: secundum quod in Plenilunium incurrit; cum καὶ τῆς φάσης ordiuntur Neomenia: tertium quod Plenilunium sequitur.

quitur, quando Neomenia tertia dies est à jago Luna. Sub hac Clavium incesit, quod negarit Plenilunium ab antiquis sive πασιλουν vocatum esse Paschalem terminum post unum seculum à tempore Constantini, propter Lunæ περιήγησιν, cum tamen id ipse factis usi- que suo, Clavium confirmet, quod verbis inficiatur. Quippe Neomenia ejus omnes uno post Novilunium die succedunt: unde quartadecima in Plenilunium ex triplici illo discrimine conferuntur. Hac summa Scaligeriana querela, que variis, ac gravissimis & manifestis hallucinationibus αναπολογίας est referta.

Quod enim primò statuit; quoties Neomenia à Lunæ Φάσι proficiscitur, decimam quartam in Plenilunium cadere: cum autem à jago incipit, uno die Plenilunium anticipare; id & à Clavio, & à nobis non semel refutatum est. Nam cum Neomenia defixa est; die civili contingat ab eo, quo Neomenia defixa est; cum ab ipso jago hanc deducimus, decima quarta plenique uno die Plenilunium præcedit; cuiusmodi sunt ferè Scaligerianæ: è contrario Liliianæ, quarum Neomeniæ novilunius uno die ferè posteriores sunt; aptifimè, atque ex usu veteris Ecclesiæ proximè Plenilunium antecedunt; uti mox amplius constat. Neque verò negavit umquam Clavium, Terminum Paschalem aliquando πασιλουν ab auctoribus vocatum. sed eodumtaxat tempore id esse factum docuit, quo περιήγησις lunaris hoc effecerat, ut Plenilunia in Terminis ipsos incurrent. Etenim seculo Nicæno, cum Novilunius mediis Ecclesiasticæ Neomeniæ accuratius quadarent; Termini Paschales biduo sæpenumerò Plenilunium antevertebant; uti superioribus capitibus ostendimus. Unde post duo ferè secula ab Nicæno confessa, hoc est Dionysii Exigui tempore, Neomeniæ uno propemodum die novilunium morabantur: & Termini Paschales reipsa πασιλουν erant, quod capite xi. supra demonstravimus. Quare falsò Scaliger post unum seculum à tempore Constantini Terminos Paschales Plenilunia fuisse scribit. Hoc enim si de majori Terminorum parte loquimur. (nonnumquam enim propter anomaliam Lunæ secus contigit) Dionysii demum ætate factum est. Ac mirifica sanè est Scaligeri κενόδοξία, qui cum in libro iv. de Emend. & in Elencho acerrimè defendat, numquam à Christianis veteribus Plenilunio Pascha celebratum; & Terminos Paschales fuisse Plenilunia. idque perpetuò, ac Nicænis adeo temporibus institutum esse velit: in Ifag. Can. manifestè prævaricatus est, ac contrarium decrevit: nempe Terminos Paschales Christianorum esse decimas quartas lunas; & Plenilunio celebrari Pascha debere: Clavium verò redarguit, quasi Paschales Terminos neget Plenilunia fuisse post lunarem περιήγησιν. Quod ille numquam inficiatus est: sed hoc solum, quod non nimis callidè

disimulavit Scaliger se à Clavio dedotum contraria opinione mutasse; illud & perpetuò contigisse, & Ecclesiæ instituto, decretòque sancitum; quod μὲν συμβεβηκός, ac præter mentem Paschaliu Canonum conditoris event. De qua re consule qua supra in cap. xv. libri hujus explicata sunt. Quinetiam hoc ipso Canonum Ifag. loco; ubi de ἀνωμαλοποιίας disputat, ambiguit, & hæsitanter loquitur; ac videtur interdum in priorem illam, quam retraxerat, opinionem relabi, & Plenilunio negare Pascha ritè celebrari: aliàs id concedere; ut ex ejus verbis apparet. Nam Clavium vellicat, quod anno mxcviii. Pascha in xxi. Martii diem, quod Plenilunium erat, indixerit. Ideo enim, inquit, translatio solemnitas in sequentem Dominicam faciendâ fuit. Hoc & simile deliramentum numquam contingere potest in methodo nostra, si terminum Paschalem statuimus in xv. Luna. Ergo xv. Luna, vel Plenilunio nefas erit Pascha peragere. Quippe in sequentem Dominicam; hoc est in Lunam xxii. jubet diffundere. Tum Paschalis Terminus in xv. Luna constituendus erit. Atqui supra pag. 182. Clavium reprehendebat, quod in Plenilunium Pascha anni mxcv. nequaquam indiceret, sed in Lunam xxii. summoveret: idque fædum, crassum, ac stupidum errorem esse dixit. Futilis est igitur reprehensio illa Clavii, & utraque pars Scaligeriana orationis falsissima; sive cum Terminos Paschales omnes Clavii Plenilunia efficit; sive cum terminos à se emendatos uno die ferè Plenilunium anticipare, nec nisi rarissimè ab iis aberrare statuit. Contrà enim accidit; ut & Gregoriani termini rarò à veris & legitimis terminis abhorreant; hoc est uno die Plenilunium antecedant; & Scaligeriani biduo sæpius ante Plenilunium incidant. Quod etsi in antecedentibus capitibus. Tabulis & exemplis aperte monstratum sit, rursus hoc loco libet oculis ipsis subsicere. Utemur ergo Diagrammate ipso, quod Scaliger proponit, ut Neomenias Liliianas doceat à Novilunius mediis uno die sæpius abcedere. Ex hac enim eadem unius cycli descriptione clarissimè constabit, Plenilunia decimo sexto plerumque die post Neomenias incurere. Sed Novilunia sola consideravit Scaliger & in eo, quod negotii Paschalis caput est, id est in Terminis ipsis, ac decimis quartis pueriliter lapsus est. Et quoniam si in eadem Tabulam Scaligeriana Novilunia & Plenilunia cum Liliana conferantur. nimis hæc vasta futura sit, nos in duas illam partiemur. Prima Scaligerianas Neomenias & Plenilunia continebit: altera Liliana utraque. Primus verus Tabulæ primæ annos Christi complectitur ab anno 1584. ineuntes: secundus aureum numerum: tertius litteras Lilianas: quartus characterem Judaicum Neomeniæ: quintus epactam Scaligerianam: sextus diem mensis Juliani: septimus characterem plenilunii: octavus diem ipsam Plenilunii Julianum.

Termini Scaligeriani biduo plenilunium antevertebat.

TABULA NOVLUNIORUM PASCHALIU ab anno Christi MDLXXXIV. per cyclum integrum, ex Ifagogicis Canonibus pag. 207.

Table with 8 columns: Anni Christi, Numerus aureus, Littera Domini, Character, Epactæ Scaligerianæ, Dies Neomeniæ, Character Plenilunii, Decima quarta Scaligeriana, Dies Plenilunii. Rows list years from 1584 to 1602 with corresponding astronomical and liturgical data.

Quam multa sint in Tabula ista vitiosa, contraque communia Computistarum decreta, qui sit ejus scientia peritus, facile cognoscat. Primum enim cum novilunia Paschalia in Tabulæ ipsius inscriptione pollicetur, velim scire cur in anno mxcx. Neomenia Paschalis in vi. Martii collocetur. Neque enim Julianus hic annus adhibetur, neque novilunia annorum merè Julianorum; sed quæ in anno castigato, decem ablatis diebus, congruant; ut ex epactis ipsis cum aureis numeris collatis intueri licet. Atqui nulla Paschalis Neomenia in anno Liliano cadit in vi. Martii, sed in Aprilis v. aureo numero corrente xiv. tam in Calendario Liliano, quam Gregoriano. quod etiam ratio ipsa περιήγησις lunaris, & ἰσαίτησις dierum decem indicat. Aureus quippe numerus xiv. in Nicæno Calendario appositus erat ad xxx. Martii. Propter antecessorem lunarem ad xxvi. pervenerat. Inde subtrahitis decem diebus ad v. Aprilis migravit. Mirum est ergo quid sibi voluerit Scaliger, qui anno illo Neomeniam Paschalem in Martii vi. contulit, & Adar pro Nisan usurpavit. Nam descriptio cycli non Judaica, sed Christiana est, & Lilianam castigationem imitatur. Ad hac manifestum est alterum illud methodi peccatum, quod jam antè notavimus: nimirum quod in eodem cyclo decemvovennali Neomenia diversis in annis eidem diei competit; atque adeo eadem epactæ, iidemque termini bis assumuntur, cyclo xii. & iv. Tum quòd epacta sequens non solum additis duodecim, sed etiam tredecim ab antecedente formatur. Velut epacta anni 1588. ab epacta anni 1587. Sed omiffis istis, illud potissimum videamus, cujus gratiâ hæc à nobis Tabella proponitur. Ex hac enim evidens est falsa scripsisse Scaligerum, dum terminos suos Paschales affirmat numquam biduo plenilunium antevertere. Ac quocumque se demum verterit, methodum ab errore, & absurditate nulla excusatione purgabit. Aut enim termini Paschales in plenilunia debent inci-

dere, & plenilunio ipso Pascha celebrari nefas est: ut in Elencho, & in Opere de Emendatione Temporum asseverat, & Ifagog. Canon. pag. 208. obscure titubanterque repetit aut termini proximè plenilunium antecedere debent; & plenilunio Pascha peragere licet, ut in Cap. III. Lib. I. Ifag. Canon. & Cap. III. Lib. III. præsertim pag. 182. docet. Si prius verum est, vitiosa est Tabula ista, quæ in aureo numero vii. x. xii. xiv. xv. xvi. xvii. xix. i. ii. v. & vii. hoc est in annis xii. decimas quartas Paschales biduo ante plenilunia refert: unde decimæ quintæ uno die plenilunia præcedunt: & terminus Paschalis ex ea regula in xvi. Lunam conjiciendus erit. quod est inauditum. Sin autem xvii. Luna Pascha ritè celebratur: ut ne ipse quidem negare potest Scaliger: fateatur necesse est in plenilunio celebrari; ut accidit aureo numero xix. & vii. Quòd si posterius eligat; terminum Paschalem diem esse xiv. à Neomenia: quod & verissimum est: multo fæditus doctrina omnis offendet. Nam in annis illis xii. terminus biduo plenilunium præcedit, quare si postridie littera Dominicalis incidere, Pascha uno ante plenilunium die celebratum oportuit. Quod enim proxima Dominica post xiv. à Neomenia diem Pascha possit incidere, demonstrat exemplo anni 1605, pag. 182. Ifagog. Canon. quo Pascha celebrari oportuisse pugnat Martii xxiv. in anno Juliano, aureo numero x. cyclo Solis xxii. littera F. character Neomeniæ 13, 209, Martii xxii. Sabbato. Postridie Dominica dies atque Pascha, ipso die plenilunii; cujus character 1, 17, 605, feria prima. Ob id Scaliger contendit Pascha illo ipso plenilunii die ex veteri regula celebrandum; & qui aliter instituerint, Clavium ac Liliu fædi, crassi, ac stupidi erroris accusat. Quocirca suo ipse gladio se jugulat, dum Paschalem terminum biduo ante plenilunium statuit; ex quo consequens est, ante plenilunium ipsam Pascha posse contineri. pag. 108. gere. quem crassum & ridiculum errorem nominat.

Nunc alterum Diagramma proponatur; in quo Lili- calumniatum esse Scaligerum, dum Paschales terminos Lilianos asserit semper in Plenilunio incurrere. Nam contrarium sapius accidere, typus ipse docebit.

TABULA NEOMENIARUM ET Pleniluniorum Paschaliu Lilianorum in uno cyclo decemnovennali.

Table with columns: Anni Christi, Aureus numerus, Lit. Dominic., Character novilunii, Epacta Lili- nae, Dies Neome- niae, Termini Li- liani, Plenilunii dies.

In hoc Diagrammate undecim anni sunt, in quibus Termini uno die Plenilunium antevertunt: in octo reli- quis Plenilunium ipsum in Terminum incidit. Num- quam vero biduo ante Terminum contingit. quod in annis XII. Scaligeriana methodus admittit, errore, quod fateri necesse est, prorsus immani. Nunc pruden- s Lector, & huius scientia non ignarus iudicet, utra tandem probabilior, & ad Paschatis celebritatem magis idonea ratio sit: illane ejus Termini Plenilu- nium biduo sapius antecedant; nempe in annis duo- decim unius cycli: in reliquis septem dumtaxat ordi- nem teneant. an ea, cujus undecim annorum termini ritē se habeant; octo reliqui Plenilunium attingant; nunquam autem uno amplius die praeviant. Sanē Terminus Paschales Plenilunii diem occupare multo to- lerabilis est, quam biduo illum antecedere. Alterum enim veterum plurimorum auctoritate nititur, qui Ple- nilunium Paschalem Terminum esse decreverant: veluti Theophilus, Cyrillus, Dionysius, Beda; antiqui deni- que, ut Scaliger opinabatur, omnes. quibus & ipse suffragatus est Scaliger; qui Plenilunium esse usu veteris Ecclesiae Paschalem Terminum fuisse crediderat. Quare nihil in paucis illis annis contra majorum sta- tuta, vel Scaligeri ipso, Calvisio, ac reliquis id ge- nus arbitris, in Gregoriano Calendario committitur. Hoc enim usurpatur, quod legitimum esse faciendū- que plenissimis istī commentariis personant. Alterum vero, quod in illorum methodo sapius evenire cerni- mus; uti Paschalis Terminus biduo ante Plenilunium incurrat; contra Canonem esse, ne ipsi quidem diffi- dentur. Certē id à Scaligero variis in locis foedi ac flu-

pidi erroris arguitur. ut illos manifestum sit propriis implicari laqueis, ac iudicio suo oratione damnari. Magna, ac stupenda fuit caecitas illa, ut Scaligeri verbis utar, nec simplici castigazione digna, in eo praesertim, qui se Paschalis methodi magistrum, & alienorum errorum severissimum censores profiteri voluit.

CAPUT XXXIV.

De Paschate anni MDXCVIII, quod ritē celebratum ostenditur.

POST editum à Gregorio XIII. Calendarii typum, nemo ferē rationem illius oppugnavit, quin pro magno vitiofatis ejus exemplo Pascha anni MDXCVIII. produxerit; quod ex Lilianis regulis non legitimo tem- pore celebratum, sed contra Canones indictum puta- runt. Una omnibus reprehendendi causa fuit; quod cum Plenilunium affecto jam die Martii XXI. contingerit; Paschatis solenne ante Plenilunium ipsum pera- tum sit, quod Nicenis sanctionibus adversari videtur. Quamobrem ut huic errori mederentur, diversas ad- modum castigandi vias, ac rationes praescripserunt: quas omnes ratione complecti ac refellere, neque otii nostri, nec susceptae disputationis est. Sola igitur ea per- censuebimus, quae diversis in libris & contra Gregoria- nam illius Paschatis institutionem declamavit Scaliger; & ad ejus emendationem ex doctrina sua ingenioque

contulit. Quae quidem non absurda solum, & ridicula sunt; verum etiam apertissime inter se contraria.

In libro IV. de Emend. Temp. capite de Emend. cy- rill. Paschalis, & capite de Anno Niceno sic de Pascha- te illo statuit. Quoniam cyclus anni MDXCVIII. erat III, qui Niceno tempore ad Martias Kal. adscribenda- tur; usque ad nostram aetatem migrationem fecit ad XV. Februarii; ab eo die in anno Juliano computandam esse Paschalem Neomeniam. Equinoctium ad XI. Martii pervenerat. decima quinta porrò Luna in XI. Martii reperitur, quam ibi Paschalem esse terminum jubet. Est autem Dominica. Proinde Pascha in XIX. Martii diffundendum. At in anno Niceno decem diebus ex- punctis, Neomenia convenit Martii VIII. Est enim Epacta XXIII, quae in Calendario priore Scaligeri ad illum diem apponitur. decima quinta cadit in XXI. Martii, quae est Dominica. Littera quippe castigati anni Dominica est D. Pascha igitur XXIX. Martii con- venit. Ibi Paschalem terminum ponit in Luna decima quinta, contra veterem usum Ecclesiae, & Nicenum Can- onem: quod & in Elencho facit. Est autem manife- sta illic divinitus sententia. Cum enim Krionos Neomenia à XXI. Martii ad XI. transitum fecerit, ac celestis ille mens- sis in X. Aprilis desinat; Neomenia verò cycli III, à XXXI. Martii, quae sedes illius erat Niceno saeculo, ad XXVII. retrocesserit, decima quinta Luna in Aprilis XI. incur- rit, extra metas Krionos. Ideo expunctio veteri Nisan, Adar substitutus est.

In Canonibus Isag. cap. IV. lib. III. in Annotatione ad Definit. XI, docet iudicio à Θεολογία, & ἀπὸ μαθησιαστικῆς tra- ctationem, & accurata attentione opus esse. Quamvis enim decima quarta dies Adar in Krionos Neomeniam incide- rit, non ideo tamen veterem Nisan sede sua dimovendum existimat, quamdiu ejus decima quarta in eundem Krion- em incurrat quod ipsum Canone X. cap. IV. lib. I. tradiderat, & Zygonos exemplo probaverat. Quoniam ergo Neo- menia auri numeri III anno MDXCVIII. ad XXVII. Mar- tiu recesserat, ejus decima quarta in Aprilis IX. cadebat, quae est tricesima dies Krionos. Hujus enim Neomenia in XI. Martii reperiebatur. Itaque nondum ἀπὸ μαθησιασ- τικῆς locum habuit: est Adaris decima quarta in Neome- niam Krionis congrueret, hoc est in XI. Martii. Unde Pascha ex ejus opinione celebrandum fuit in anno qui- dem Juliano Aprilis XVI: in Liliano verò, cum Neome- nia à XXVI. Martii ad VI. Aprilis descenderit, decima- que quarta in XIX. Apr. ac Dominicam diem incidat, Pa- scha transferendum decrevit in XXVI. Apr. Jam enim Scaligerianam illam opinionem retulimus, de Neome- niarum Paschaliu epocha, quam ad VI. usque diem Aprilis extendit; adeoque decimas quartas ad XIX, Pa- schales Dominicas ad XXVI. quod supra capite XI. libri hujus excussimus. Denique negat Adar illo anno in lo-

co, cum Nisan subrogandum fuisse, uti Lilius fecit. Quod si nihilominus Adar succederet, Terminus Paschalis in Plenilunio defigendus erat: uti in XII. diem Martii in anno Juliano; in Liliano verò in XXI. incidere: atque ita Pascha in XIX. Juliani Martii, vel XXI. transferretur. Quocirca duplex in illo Paschate vitium redarguit: pri- mum, quod Adar pro Nisan sumptus est: alterum, quod in Adar terminus in XIV. Luna, non Plenilunio constitu- tus fuerit. Verum imperitissima est haec animadversio, de- finitiōque Scaligeri, & adversus traditas ab eo, illo ipso Capite, regulas pugnat. Nam quod Adar imprimis pro Nisan usurpari non patitur, ex eo refellitur. Si enim Ni- san Dionysianus relinquantur, quartadecima illius in Apr- ilis IX. diem conveniet; qui, detractis X. diebus, erit XIX. Aprilis. Neomenia quoque VI. Aprilis ejusdem conveniet. Atqui Niceni cardines Neomeniarum Paschaliu sunt ab VIII. Martii ad V. Aprilis: Termini verò à XXI. Martii ad XXVII. Martii pertinebant, nec eos limites excede- bant. Cum igitur antiquas illas epochas praesentare Gregoriana methodus inlitteraverit, nullo modo committ- endum fuit; ut uno die ultra illas excurrerent. Ac ratio illa, cui Scaliger innititur, ut propagandos istos limi- tes afferret, inutilis est, & cap. illo XI. à nobis rejecta. Proin- de ut Niceno ritu Pascha anno MDXCVIII. perageretur, ἀπὸ μαθησιαστικῆς fieri debuit à Adar in locum Nisan. Quippe Neomeniarum Paschaliu, ut & Terminorum, mensis XIX. dies dumtaxat dies habuit. Dominica verò Pa- schales ad XXXV. dies extendebantur: Contra quem Ec- clesiae veteris usum prioribus mensibus duobus triginta dies; Dominicis verò Paschalibus, triginta sex assigna-

vit Scaliger. quod absurdum est, minimeque toleran- dum. Jam verò si Adar in locum Nisan substituentis erat, non alio profecto tempore, quam quo Grego- riana methodus scivit, indicendum Pascha fuerat, vel ex ipso Scaligeriano Canone. Erant enim Neomeniae cha- racter 7, 23, 443, feria I: littera Domin. in anno ca- stigato, D. Epacta castigata XXI. in Calendario Juliano Isagogicorum Canonum; Martii VIII. Ibi ergo Neo- menia collocanda. Hujus decima quarta in XXI. Mar- tiu diem cadit; feriāque septimam. Ergo Dominica Paschalis incumbet in XXI. Martii, quo die Plenilu- nium incurrit. Quod enim Terminus Paschalis sit Luna XIV. vernalis, docet cap. III. lib. I. Defin. XV. Quod autem Plenilunio ipso Pascha celebrari oporteat, eodem Capite demonstrat, & lib. III. cap. III. pag. 182. quem locum supra produximus. Igitur ex Scaligeri sententiā ritē Pascha anno illo peractum. Quod si verum est, ineptē pag. 208. Terminum in Plenilunio constituit. Neque enim incitari potest, quin rectē Neomenia in feriā primam, Martii VIII collata sit, cum id in Tabula cycli integri, quam superiori capite protulimus, ipse fecerit. Si ergo XIV. dies terminus Paschalis est, ut ipse decernit; quoniam ista ratio est, ut in XV. Lunam ac Plenilunium proferri Terminum jubeat, ac Lunam XXI. Pascha celebrari: quem ipsemet pag. 182. fe- dum, crassum, stupidum errorem appellat? Hac de anno MDXCVIII, quod ritē à Gregorio in XXI. Mar- tiu diem est indictum: quo Plenilunium medium com- missum est hora ferē VIII. matutina ex Judaico com- puto, quod in delitiis habet Scaliger. qui idem anno MDV. Pascha XXIV. Martii celebrandum acriter contendit; quamvis eo die Plenilunium Judaicum in meridiem propemodum inciderit. ut nemini dubium reliquerit, quin odio veritatis, & Catholicae religionis, non exquisi- tione aliquo iudicio ac peritia in eam castigationem in- ductus sit. Atque ut de Paschate anni MDV. agamus obiter; planum est rectē in Gregoriano typo in X. Apr- ilis conjectum fuisse. Erat enim aureus numerus X; Epac- ta castigata X, Martii XXI, uno post Novilunium die, quod feria prima commissum est, Martii XX. Plenilu- nium Aprilis III, hora ferē meridiana, quem in diem Terminum convenit. unde Pascha in X. Apr. transla- tum. At Scaliger Neomeniam in anno Liliano Martii XX, Terminum Aprilis II. tribuit; & Dominicam Paschalem postridie celebrari praecipit in ipso Plenilu- nio: ut solennis ipsa Paschatis Christiani functio ante Plenilunium obita sit. Quid stupidius, quam id in an- no illo MDV. fieri velle, & nisi fiat, crassi, ac foedi er- roris arguere, quod in anno MDXCVIII. condemnat?

Epilogus libri IV, & V.

SED finis sit. Jam enim constitutum ac deliberatum illius à nobis modum disputationis excessimus; cu- jus argumentum alii ante nos uberrimē, accuratissimē- que pertractarunt; qui adversus Gregoriani Kalenda- rii obrectatores ingentes libros ediderunt. Neque ta- men dissidere possum, quin ad eam partem nonnihil quoque recens haec lucubratiō nostra contulerit. Nam & methodi totius principia & rationes aperuimus; & Scaligeriana contra illam argumenta omnia dissolvimus; tum institutam ab eodem Calendarii formam, multi- plicem illam quidem, ac perplexam, molestissimis ex ambagibus ac tenebris educam subtiliter excussimus, plenissimēque confutavimus. Ita suus Gregoriano Kal- endario vindicatus est nitor. Quo quidem invento nullum constat multis abhinc saeculis praesstantius ac di- vinius fuisse repertum, neque castigandi continendique intra legitimos terminos anni viam ullam excogitari potuisse, quae ad civilem, & Ecclesiasticum usum tu- tior esset ac commodior. Hoc vel Haeretici ipsi faten- tur ingenue, qui doctrinā illius accuratiore scientia praediti sunt; nec amore partium praedjudicatum ad eam quaestione sententiam adferunt. Quod unius exemplo ac testimonio comprobare sufficet. Nicolaus Mulle- rus Leovardianus è Frisia Tabularum Frisicarum au- ctor in Isagoge in Calend. cap. XVII. de anno Grego- riano disputans, in hac verba pronunciat. Interim hoc lubens testor, Pascha ex methodo Gregoriana petium cum Patrum placitis ut plurimum consentire, ita ut pervarō Pa- scha emendatius per tabulas Chronomicas dari possit. Unum opponit; quod rationes Chronologicae, & tempo-

DE DOCTRINA TEMPORUM.

Postremo cum hoc toto libro quarti de Emendatione Temporum libri pars ultima, quae cycli Paschalis calligationem continet discussa, reſutataque ſit, ac ſic univerſa libri quarti doctrina per partes examinata, ejuſdem, cujus ceterorum librorum capita, falſitatis convicta fuerit, ſummam animadverſionis totius more noſtro colligemus.

Haecenus igitur demonſtratum eſt hoc, & ſuperiore Libro, quicquid novi Scaliger ex ingenio, induſtriaque ſua conſulit ad ea, quae ab aliis tradita jam acceperat, de anno Romanorum Juliano; Aegyptiorum Aetiaco, Syrogræcorum, & Antiochenorum, & Athenienſium Juliano; ac reliquis in iv. libro de Emend. Temporum expoſitis, ea vana, & abſurda videri, pleraque etiam temere ac ſine iudicio conſicta.

Quicquid igitur in Libro xv. de Emendatione Temporum, tum in Iſagogicis Canonibus, ubi cumque eadem doctrina pertractatur, novum ac ſuapte induſtria repertum, vel amplifictum edidit Scaliger; id omne falſum, commentitium, ac frivolum eſt. quod erat demonſtrandum.



DIONYSII PETAVII SOCIETATE JESU, DE DOCTRINA TEMPORUM LIBER SEXTUS.

IN QUOMETHODI LUNARIS, Id eſt Cyclorum aureorum numerorum fontes ac principia recluduntur.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.



UANTO melius ſit, & ad uſum methodi Paſchalis, & adminiſtrationem recens illud opportunius inventum, quo epactæ ad ſingulos menſium dies appoſitæ novitunia demonſtrant, quam aureorum numerorum, qui in veteri Kalendario deſcribebantur; intellectum ex iis opinor eſſe, quæ toto Libro ſuperiore pro Gregoriano Kalendario in medium adduximus. Neque tamen non magnopere laudandum illud fuit veterum artiſicium, quod in illis excogitandis primum; tum ad ſuum negotium accommodandis, ac digerendis numeris inſigniter eluxit. De quo quæ ex antiquorum Compuſti magiſtrorum aſſidua, diligentiſſimæ lectione, labore, quod fatendum eſt, incredibili, ac ſtudio mihi comparavi, explicare hoc in Libro ſtudi; ac fontes ipſos recludere, unde omnis cyclorum, numerorumque, quos aureos appellant, profecta ratio variè eſt in Græcorum, Latinorumque Kalendariis poſtea deſcripta. Eſt autem ſupervacanea videri noſtra cuiquam hæc opera poteſt, propterea quòd artiſex ille numerorum, ac cyclorum uſus intercidit, eſtque præſtantiore ſine dubio, opportuniorque mutatus; nihilominus multis neque levibus de cauſis adducor, ut hanc de cyclis, veterumque Compuſti accuratam, ſubtiliſſimæ diſputationem ſingulari Operis huius parte complectar. Nam ſi antiquiſſimorum populorum jam inde condito ex orbe Faſtos, & annales methodoſe ſtudioſè perſequimur, eorumque veſtigia quantum poſſumus in omni vetuſtatis memoria perquirimus; ſi Hebræorum, Chaldæorum, Perſarum, Græcorumque Kalendaria jamdudum obſoleta, ignotaque à ſitu & oblivione vindicamus; cur id in ea Kalendarii forma præſtare non liceat, quæ tot annos uſa eſt Catholica omnis Eccleſia, quæque paucis abhinc annis obſervari deſiit? Quin ipſa quoque hodierna Faſtorum ratio, in qua epactæ pro numeris aureis aſſumptæ ſunt, veteri nihilominus methodo, & aureorum numerorum doctrina plurimum adjuvatur; ut in Kalendario fatetur Clavius. Deni-

que cum temporum ſcientiam hoc in Opere profectamur; hoc eſt annorum genera diverſa, cum eorum ægyptiæ præmodum nefas arbitror, tam egregiam, inſignemque prætermittere; quam Chriſtianus orbis ad noſtram, vel patrum certè noſtrorum uſque memoriam, ad Eccleſiaſticas celebritates, & ſanctiſſimas religiones accommodavit. Neque verò ſic in ea parte tractanda diſputandaque veſtabimur, ut vulgaribus quibuſdam, ac decantatis ſæpè contenti ſimus; cujuſmodi ſunt illa, quæ in calce Operis de Emendatione Temporum perſtrinxit Scaliger. quin potius prima ipſa methodi principia perveſtigabimus, neque cyclorum modo varietates; ſed & cauſas, atque origines explicabimus. Quantum porro Lectoriſſimis eruditus hanc meam qualemcumque operam & induſtriam probaturus ſim, neſcio. Hoc verò confirmare poſſum; tantum me hæc in una conſequenda, elaborandaque doctrinæ parte, quantum in nulla altera ſtudii & contentioniſ adhibuiſſe. Res eſt enim nullius, quod fateri neceſſe eſt, ſatis illuſtrata ſcriptis; ſi unum Paulum Forſempronienſem excipias; cujuſ immane volumen paucorum hodie manibus teritur, ac propter editionis unice vetuſtatem propemodum intercidit. Huius nos lectione libri, nec non Bedæ, aliorumque Compuſti Scriptorum commentariis adjuſti, æri & aſſidua meditatione longius proceſſimus, & eam doctrinæ totius ſummam incredibili, quod dicendum ſæpius eſt, labore conſecimus. quam ad fructum poſteritatis, ac memoriæ, ſexto huic Libro mandavimus. Diſputationis ordo hic à nobis inſtituetur; uti primo loco de variis cyclorum generibus, eorumque conditionibus agatur; poſtea Neomeniarum in illis, ac ſeriarum methodus explicetur.

DIONYSII